

**Cloquet, J.. - An in curanda oculi
suffusione (vulgo cataracte) lentis
crystallinae extractio hujus
depressione praestantior ?**

1824.

Paris : Ex typis Didot junioris

Cote : 90975

1

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI ET EX MANDATO SUMMI REGLE UNIVERSITATIS MAGISTRI

INSTITUTA ANNO 1823.

AN IN CURANDA OCULI SUFFUSIONE (VULGO CATARACTE)
LENTIS CRYSTALLINÆ EXTRACTIO HUIUS DEPRESSIONE
PRÆSTANTIOR ?

THESES

*quas, Deo favente, in saluberrimâ Facultate medicâ pari-
siensi, præsentibus competitionis iudicibus, publicis com-
petitorum disputationibus subjiciet et dilucidare conabitur
die 26 februarii anni 1824*

AUCTOR J. CLOQUET.




PARISIIS,
EX TYPIS DIDOT JUNIORIS,

Typographi Facultatis medicæ parisinæ.

1824.



JUDICES CONCURSUS PRO AGGREGATIONEM.



Præses, D. ESQUIROL.

Judices, D. D. {
BOYER.
DUPUYTREN.
RICHERAND.
MARJOLIN.
BOUGON.
GARDIEN.
RIBES.
CAPURON.

Vices-gerentes, D. D. {
DENEUX.
BRESCHET.
MOREAU.

COMPETITORES.

D. D. LÉCORCHÉ-COLOMBE.	D. D. DUBOIS.
LISFRANC DE SAINT-MARTIN.	BELMAS.
J. CLOQUET.	BAUDELOCQUE.

AN IN CURANDA OCULI SUFFUSIONE (VULGO CATARACTE)
LENTIS CRYSTALLINÆ EXTRACTIO HUIUS DEPRESSIONE
PRÆSTANTIOR?

ARDUA quæstio : celeberrimos enim inter chirurgos, tam veteres quam recentiores, alii depressionem extractioni, alii extractionem depressioni anteponendam existimant. Neglectis auctoribus, ex observatione et experientiâ opinionem meam libenter elucidare et comprobare conabor, omissisque iis omnibus quæ ad naturam causas, symptomata, diagnosim, prognosim, et operandi modos pertinent, exponam 1.^o communia et propria utrique methodo incommoda; 2.^o casus in quibus una est alteri præponenda methodus; 3.^o utriusque methodi, in restituendo visu, vices plus minùsve faustas.

§. I.^{us}.

1.^o *De communibus utrique methodo incommodis.*

Suffusionis extractio, quâ ex oculo lens extrahitur, præclarior evadit operatio depressione, eo quòd post istam in eodem organo morbi causa remanet. Sed hæc methodus est sine ullâ controversiâ facilior, etsi extractionis fautores in diversâ opinione versentur. Quod quidem hos non fugit qui ambas operationes perficere consueverunt. Peragendæ operationis tempus ferè idem est in utrâque methodo.

Ex communibus utrique methodo incommodis, alia primitiva

sunt, ut dolor, iridis læsio, hæmorrhagia, vomitus; alia consequentia, ut inflammatio, suffusionis capsularis productio, synechisis pupillæ, et cæcitas.

1.° Dolor. Majori cum dolore effici depressio quàm extractio videtur; quod tamen infirmitat quorundam ægrorum testimonium.

2.° Iridis læsio. In utrâque methodo, iris lædi potest. In lentis *extractione* læditur, 1.° dùm translucida cornea pungitur aut inciditur; 2.° dùm aperitur membrana capsularis; 3.° denique à lente per pupillam transeunte divelli potest. In *depressione*, nonnunquam iris ab acûs mucrone vulneratur.

3.° Hæmorrhagia à vasorum oculi sanguiferorum læsione, præsertim iridis, orta, æquè frequens est in utrâque methodo. Interdùm in depressione à vasis choroïdæ membranæ læsis oritur, quod in extractione nunquàm accidit.

4.° Vomitus, et alia spasmodica symptomata quæ suffusionis operationem comitantur vel sequuntur, rara sunt. Non frequentiora observantur in depressione quàm in extractione: si quandò accidunt, pejora multò sunt in hâc quàm in illâ methodo.

5.° Oculorum inflammatio in extractione frequentior quàm in depressione. Sæpè ex illâ pseudo-membranæ opacæ, oclusio pupillæ, bulbi suppuratio, atrophia, et cæcitas plerumquè insanabilis nascuntur. Post depressionem, periculosiorem esse oculi phlogosim plurimi affirmant, ob internarum oculi partium strangulationem a scleroticâ membranâ productam.

6.° In utroque operandi modo, capsulæ suffusio secundaria consequi potest. Frequentiùs forsàn post extractionem observatur.!

7.° Obturatio seu synechisis pupillæ, ab inflammatione et consequente coarctatione hujus membranæ plerumquè pendet. Hæc coarc-

tatio, quorundam excretoriorum canalium angustiae vitiosae assimilari potest, et in utraque methodo aequè metuenda.

2.° *De incommodis depressioni propriis.*

Præcipua depressionis incommoda sunt, scleroticæ sugillatio, nervorum ligamentique ciliarium læsio, lentis suffusæ ascensio subsequens, oculi membranarum à lente depressâ irritatio, lapsus lentis in anteriorem oculi cameram, per longum tempus nonnunquam ad perficiendam curationem necessarium.

1.° Scleroticæ sugillatio à vasis sanguiferis adnatæ tunicæ et choroïdæ membranæ læsis oritur : leve et non periculosum incommodum.

2.° Ex ligamenti et nervorum ciliarium læsione acutissimi dolores spasmodicaque symptomata nasci possunt : sed ligamenti ciliaris læsioni occurrere erit facile, si scleroticæ punctio ad duas lineas extrâ limbum corneæ translucidæ fiat. Nervorum ciliarium læsio levis erit, dummodò acûs latera optimâ acie instructa sint.

3.° Lentis depressæ ascensio rarior est quàm vulgò dicitur. Sæpè hanc ascensionem mentitæ sunt humoris albescens effusio in capsulâ lentis vacuâ, aut ipsius capsulæ secundaria cataracta. Si rursûs ascendat lens suffusa, rursûs demitti potest.

4.° Oculi membranarum, et præsertim retinæ à suffusione depressâ irritatio, dolor et inflammatio. Depressionem peractâ, lens crystallina absorbentibus oculi vasis paulatim et penitus absorbi potest. Cæteròquin in oculi fundo, sine incommodo ullo, lens depressa diù remanere potest ; quod mihi comprobatum et certum est ex pluribus anatomico-pathologicis præparationibus et observationibus adhuc indictis, quarum me participem fecit clar. et ben. professor *Th. Scemmering*.

5.° Lentis suffusæ per pupillam lapsus in oculi anteriorem cameram

pro levi incommodo haberi potest. Mox enim humore aquoso lens crystallina diluitur, et absorbentibus vasis sumitur, ni capsulâ suâ involuta remanserit.

6.° Multum sæpè temporis necessarium est, post depressionem, antequàm omninò visus restituatur; incommodum leve, nisi ætate provector sit æger.

3.° *De propriis extractioni incommodis.*

Extractioni incommoda propria præsertim sunt, prava corneæ incisio, hujusdem membranæ opaca cicatrix, oculi compressio ad expellendam lentem suffusam, humorum oculi profluvium, iridis procidentia, corporis vitrei staphyloma, aëris immissio in oculi cameras, labiorum vulneris diductio ab inferiore palpebrâ et à lacrymis irritatio.

1.° Parva nimis corneæ sectio lentis transitui et extractioni obstat; magna nimis corneæ gangrænæ vel humorum oculi profluvio locum dare potest. Quæ incommoda facillimè vitari possunt, dummodò strenuâ manu peragatur operatio.

2.° Sectione orta cicatrix interdùm albicans remanet; sed rarò visui nocet, quia à corneæ centro distat.

3.° Oculi compressio ad expulsionem lentis suffusæ adhibenda semper est, quoddam irritamentum quo læsum organum ad inflammationem promovetur: leve incommodum, si leni compressione usus fuerit chirurgus.

4.° Humorum oculi effluvium, post corneæ sectionem, vel seriùs, eò gravius incommodum est, quòd peritissimus etiam chirurgus interdùm illud effugere nescit. Si copiosi effluerint humores oculi, cæcitas rarissimè vitanda est.

5.° Iridis procidentia, etiamsi reduci possit, pro gravi incommodo habenda est; hanc enim sæpè sequuntur uveæ staphyloma, ejusdem

membranæ cum corneâ vitiosæ adhæsiones , pupillæ deformatio , et impedimentum visui plus minùsve insanabile.

6.° Post extractionem , vitrei corporis et hyaloïdeæ membranæ staphyloma , leve plerumquè incommodum : ex illo tamen corneæ fistula bulbique oculi atrophia interdùm oriuntur.

7.° In oculi cameras per corneæ plagam aëris introitus haud facilè vitatur , et inter gravis ophthalmiæ causas adnumerandus.

8.° Inferioris palpebræ inter sectionis ora intromissio inflammationis oculi hujusque humorum profluvii causa est. Huic incommodo occurrere interdùm difficile est , quamvis in obliquum secta fuerit cornea.

9.° Inter sectionis labra salsæ manantes lacrymæ inflammationis oculi causæ sunt : quod incommodum vix notandum est de plagulâ scleroticæ , post suffusionis depressionem.

10.° Si infaustè lentis suffusæ extractio facta fuerit , novæ operationi non locus est , nisi opaca fiat capsularis membrana. Post depressionem verò , nova depressio cum meliori successu nonnunquàm perfecta est.

§. II.

Quibus in casibus altera methodus alteri sit anteponenda ?

1.° Si exquisitâ sensibilitate , inquietâ mente , indocilive naturâ præditus sit æger , si vitiosis continuò agitetur motibus oculi bulbus , ut plerumquè observatur apud ægros adnatâ suffusione laborantes , melius est lentem deprimere.

2.° Extrâ orbitæ cavum si plus justò promineat oculus , vel excavatus , palpebrisque vix hiantibus cooperiatur , anteponenda est depressio.

3.° In coarctatione pupillæ, si Atropæ belladonæ extracto hæc apertura ampliari non possit ad extrahendam lentem, adhuc anteponenda est depressio. In pupillæ synezizi, nullo prorsus modo aliâ possumus uti methodo.

4.° Translucidam corneam cum maculant leucoma, nephelion, pterygion; si tumeant oculi varicosa vasa, facilèque inflammationi pronæ sint palpebræ, adhibendam esse depressionem censeo.

5.° In tremulâ suffusione (cataracte branlante) plerumquè depressionem lentis perficere melius est.

6.° Si mollissima vel lactescens sit suffusio, si teneros et indociles afficiat pueros, anteponenda depressio.

7.° Si vitiosè capsula lentis adhæreat pupillæ, melior est depressio.

8.° Cum hydrophthalmiâ levi intumescit oculus, plerumquè non operanda suffusio: si tamen fieret operatio, depressione uti melius.

9.° Cum parvus est ambitus corneæ, hujusve membranæ ferè plana superficies, vel largior senilis arcus, tunc adhibenda est depressio.

10.° Si lens suffusa aucta mole sit, depressio; si minuta et lapidosa, quod rarò evenit, extractio præponenda est.

11.° In capsulari suffusione, quæ sæpè haud facilè dignosci potest, anteponenda mihi videtur depressio.

12.° Si sclerotica levi staphylomate afficiatur, operatione abstinendum est; si tamen hanc tentaret chirurgus, melius foret extractionem adhibere.

§. III.

Utriusque methodi vices plus minusve faustæ.

Nunc utriusque methodi si plus minusve faustus conferatur exitus, generatim prævalere videtur depressio; pro novo hujusdem

testimonio hic in summâ adjiciam, operationes suffusionis quarum testis fui in pluribus nosocomiis, aut quas ipse perfecti.

Operations peractæ in suffusos oculos, 246..	{	Depressione, 166.	{	1.° Visus restitutus.	{	Perfectè.....	97
				Imperfectè.....	24		
		45.	{	Inflammatione.....	29		
				Amaurosi.....	6		
2.° Cæcitas ab....	{	Ascensâ lente.....	2				
		Capsulari suffusione secundariâ.	4				
						Clausâ pupillâ.....	5
						Lapsu lentis in oculi anterior-	1
						rem cameram.....	
Extractione, 80. .	{	1.° Visus restitutus.	{	Perfectè.....	28		
				Imperfectè.....	14		
		38.	{	Inflammatione.....	18		
				Amaurosi.....	3		
2.° Cæcitas ab....	{	Iridis procidentia.....	4				
		Corneæ gangrænâ.....	1				
						Clausâ pupillâ.....	1
						Iridis adhæSIONIBUS vitiosis....	1
						Corneæ vitiosâ cicatrice.....	1
						Humorum effluvio.....	7
						Capsulari suffusione secundariâ.	2

CONCLUSIO.

Ex suprâ dictis nunc mihi concludere liceat, 1.° neutram harum methodorum exclusoriè adhibendam esse; 2.° anteponendam tamen plerumquè hanc esse quæ facilior, minoribus incommodis comitata, pluribusque casibus conveniens est; 3.° ergo anteponendam sæpiùs-que adhibendam extractionem. Factis experièntiâque ductus, hanc teneo sententiam, etsi paucos ante annos in contrariâ versatus essem opinione.